

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Patria e
cum fonte primo

Nemo potest diligere quod habitatores intelligit non amare.
Vnicuique patria sua carior est dum supra omnia saluum fore queritur,
ubi ab ipsis cunabulis commoratur.

Feris datum est agros siluasque querere,
hominibus autem focos patrios supra cuncta diligere.

Aues ipse per aera uagantes proprios nidos amant,
erratiles fere cubilia dumosa festinant,
uoluptuosi pisces cauernas suas perquirunt,
cunctaque animalia ibi se norunt refugere, ubi longissima cupiunt etate constare.

Cassiodorus libro I. epistolarum epistola XX.

Prouocandi sumus affectiosis ciuium studiis ad augmenta ciuitatis,
quia nemo potest diligere quod habitatores intelligit non amare.
Vnicuique patria sua carior est, dum supra omnia saluum fore quaeritur,
ubi ab ipsis cunabulis commoratur.

Aurelius Cassiodorus, *Variarum libri XII.*, 1.21.1 (CCSL 96, A.J. Fridh ed., pp.29-30, ll.1-5).

Feris datum est agros siluasque quaerere,
hominibus autem focos patrios supra cuncta diligere.

Aurelius Cassiodorus, *Variarum libri XII.*, 8.31.1 (CCSL 96, A.J. Fridh ed., p.336, ll.7-9).

Aues ipsae per aera uagantes proprios nidos amant:
erratiles ferae ad cubilia dumosa festinant:
uoluptuosi pisces campos liquidos transeuntes cauernas suas studiosa indagatione perquirunt
cunctaque animalia ubi se norunt refugere, longissima cupiunt aetate constare.

Aurelius Cassiodorus, *Variarum libri XII.*, 1.21.3 (CCSL 96, A.J. Fridh ed., p.30, ll.19-24).